

<sida 2> cum ingenia non possint; qui rerum potiri volunt, suamque fortunam vel potius tyrannidem quærunt, in omnium rerum perturbatione; et, quia virtute non valent neque pollent ingenio, tentant dolo, experiuntur detrectationibus abrogare leges, potestatem regiam eludere, magistratibus auctoritatem et fidem omnem detrahere, senatorum præfectorumque dicta et facta omnia vituperare. In tanta rerum perturbatione, cum pauci sua sorte contenti esse videantur; cum accusantur reges, penes quos summa imperii esse debet, tyrannidis; accusantur magistratus ambitionis et avaritiæ; vituperantur denique omnes, qui aut in foro, aut in re militari, aut in ecclesia, aut in tribunali aliquo officii munere funguntur, quod non populi sed sua commoda potissimum quærant; si hæc vera sint: quis est tam ferox, tam immanis tamque erudelis, qui libertatem amissam populi non deploraverit?

Sed videndum est, ne id, quod in aliis vituperatur, in nobismet ipsis deprehendatur. Cavendum est, ne isla vitia, quae in magistratibus damnantur, in nobismet ipsis inveniantur. Tota civitas mihi videtur communi vitio laborare; nec solum nostra civitas, quæ extremis hisce temporibus mortiferum accepit vulnus, sed omnes gentes, quæ in orbe terrarum degunt, in eundem morbum incidisse videntur. Miremini forte L. quæ sit illa species morbi, qua cuncta corporis membra ægrotant, quæ civitatem tam inquietam et morosam reddit. Non est mirandum, si ego, procul a theatro remotus, et ea, quæ aguntur in scena, e longinquo prospiciens, longe aliam de morbi hujus natura sententiam edicere auderem, quam quæ <sida 3> vulgo promitur. Ut mihi videtur, causa omnium malorum quaerenda est, non in servitute corporum, sed in servitute animorum, in depravatis moribus, in religionis defectu. Periit virtus, periit prisca fides: deleta est pietas: exstincta est morum simplicitas. Habemus religionis formam, sed res ipsa evanuit, et nucleus inanis est.

Etenim quid est, quod tam magnopere affectamus? Quid est, quod quærimus parvi et ampli? Fortunam et felicitatem. Sed fortuna quæritur non in virtutibus, neque in religione, sed in voluptatibus, in honoribus in divitiis hujus mundi. – Ego homo inurbanus et agrestis ad urbem iter facio, obstupesactus domum sutoris excelsam intro: hic nitent omnia sericis et ornamentis; refulgent parietes speculis, tabulis et pigmentis; redolent omnes incolæ odoribus et unguentis; resonant tecta instrumentis musicis chordarum: unde hæc, quæso, redundant sutori? Ex officina? Non opinor; sed ex ære alieno. Miror hominis stultitiam atque reprehendo, quod male sibi suisque consuluerit, si quidem ære alieno contracto, cum non sit solvendo, bonis publicatis se suamque familiam in maximam miseriam præcipitaverit. At ille stomachari, irasci, dictitare, se dignitati suæ consulere debere; non posse se sub alia conditione bene honesteque vivere. Hoc vitæ genus non solum in sutoribus et sartoribus, sed etiam in omnibus mercatoribus deprehenditur, quibus omnia sunt venalia præter ambitionem; quorum merces semper plurimo, honos autem et religio et fides minimo constant; quorum luxuria et avaritia ad omnes pæne

oppidanos emanavit. Mercantur, negotiantur; ædificantur ædes,  
apparantur convivia; in epulis, aleis atque